

2°. Quia instituere sacramenta non est determinare quomodocumque materiam et formam, sed est his conferre vim causativam gratiæ; Ecclesia autem non confert materiæ aut formæ ullam vim causativam gratiæ, sed solum eligit aliquod signum in specie ex illo genere signi, cui Christus annexuit gratiam; hic vero annexuit gratiam signo alicui in genere expressivo collatæ potestatis, et signi in specie electionem reliquit Ecclesiæ; nam ipse nullum in specie determinavit; ergo dum Ecclesia ex illo genere signum in specie determinat, non ipsa, sed Christus huic vim gratiæ causativam tribuit, nec proinde Ecclesia dici potest instituere sacramenta.

122. *Inst. 5.* Si Christus determinavit materiam et formam sacramenti ordinis non nisi sub ratione generica signi expressivi potestatis collatæ; ergo valide ordinaretur sacerdos Latinus per solam traditionem cujusvis instrumenti, etiam vestis sacerdotalis: item valide ordinaretur ritu græco per solam impositionem manuum; sed consequens non admittitur; ergo.

R. N. vel D. seq. Valide sic ordinaretur supposita præsentis determinatione et electione facta ab Ecclesia *N.* in hypothesisi, si Ecclesia pro Latinis aliud signum expressivum sacræ potestatis elegisset, vel determinasset *C.* Christus licet determinavit materiam et formam solum in genere sub aliquo signo expressivo collatæ potestatis; potestatem tamen determinandi signum in specie, ita ut hoc haberet vim gratiæ, esse solum penes Ecclesiam voluit, non quemvis particularem, quod nimiam confusionem et difformitatem induxisset in Ecclesiam, quam uti unitas, ita maxime decet rituum uniformitas; Ecclesia vero aliud pro Latinis, aliud pro Græcis ordinavit, igitur nunc non potest ordinari valide sacerdos Latinus, nisi ritu Ecclesiæ latine, nec Græcus nisi ritu Ecclesiæ græcæ.

123. *Inst. 6.* Licet Ecclesia determinavit pro Latinis pro materia primæ consecrationis panem azymum, pro Græcis fermentatum; valide tamen a Latino et Græco in utroque pane fit consecratio; ergo etiam licet Ecclesia pro Latinis pro materia ordinis præter impositionem manuum elegerit traditionem instrumentorum, pro Græcis solam impositionem manuum, valida tamen est ordinatio, si Latinus ordinetur ritu græco, aut Græcus latino.

R. C. Ant. N. Cons. Disparitas est, quia Ecclesia panem azymum pro Latinis, et fermentatum pro Græcis determinavit tantum ut necessarium necessitate præcepti; at traditionem instrumentorum pro Latinis determinavit ut necessitate sacramenti. Primum aperte docet Florentinum in Decreto Unionis definiens, in utroque pane sacerdotes valide conficere sacramentum; et tantum addit præceptum, ut nihilominus quisque morem observet suæ Ecclesiæ. Alterum ex eodem colligitur, dum traditionem instrumentorum absolute vocat materiam, verba huic respondentia formam; quæ voces intelligi debent de materia vera, et forma; si enim Concilium per hæc indicare voluisset aliquid tantum accidentale, aut integrale, id exprimeret debuisset, ne Armenos, quos instruere volebat, potius in errorem induceret; hi enim ex paritate aliorum sacramentorum, in quibus semper Concilium tantum loquitur de materia et forma essentiali, nihil aliud intelligere poterant, quam traditionem instrumentorum esse pariter materiam, et

verba respondentia esse formam essentialem; quia sicut Concilium de aliis sacramentis ait, *materia est; forma est...* ita de ordine sine restrictione: *materia est traditio instrumentorum.* Et ratio a priori est: quia Christus pro materia primæ consecrationis determinavit panem in specie, sicut pro materia secundæ consecrationis vinum, pro baptismo aquam; Ecclesia autem non potest facere, ut panis azymus vel fermentatus non sit panis; sicut non potest facere, ut vinum album vel rubrum non sit vinum; ergo nec ut sit materia valida, vel non: e contra Christus non determinavit in specie hanc, vel illam rem, ut esset materia ordinis; hoc enim sine omni fundamento diceretur; sed voluit conferri sacramentum hoc per signum aliquod expressivum sacræ potestatis ordinis; quale autem esset hoc signum in specie, reliquit determinationi Ecclesiæ; ergo illud signum præcise est materia valida, quod de facto Ecclesia determinavit.

Obj. iterum contra eamd. Partes sacramentorum debent esse fixæ et immutabiles; ergo nequit facere Ecclesia, ut, quod ante sacramento essenziale non fuit, fiat essenziale: atqui si traditio instrumentorum nunc esset essenziale, materia sacramenti ordinis non esset fixa et immutabilis; nam ante seculum *XI.* nequidem in usu fuit.

R. D. M. Debent esse fixæ et immutabiles saltem quoad substantiam et formaliter, hoc est, habere eandem significationem sacramentalem, vel conformiter institutioni Christi *C.* semper materialiter et in specie *subd.* si Christus jam in specie determinavit, ut in baptismo aquam, etc. *C.* si non, sed reliquerit determinationi Ecclesiæ, ut in sacramento ordinis *N.* Juxta *Trid. Sess. 21. c. 1.* Ecclesia habet potestatem mutandi quædam in sacramentorum dispensatione salva eorum substantia; sed dum Ecclesia, licet non statim initio, determinavit traditionem instrumentorum tanquam materiam partialem, sive signum magis expressivum potestatis consecrandi, non immutavit substantiam sacramenti ordinis, quia Christus totam ejus substantiam in eo posuit, ut conferretur per signum expressivum sacræ potestatis ordinis, relicta penes Ecclesiam facultate tale signum in specie determinandi.

Obj. IV. contra formas Ordinationum. Forma ordinationis Episcopi, Presbyteri, etc. consistit in oratione, qua Episcopus invocat Spiritum sanctum in eos, quibus manus imponit; ergo. *Prob. Ant.* ex Morino, Juenin, et aliis recentioribus Gallis. 1°. Sacra Scriptura Act. 6. de ordinatione septem primorum diaconorum, et Act. 13. in ordinatione Pauli et Barnabæ meminit solius orationis. 2°. Nec in Sacramentario S. Gregorii, nec in Pontificalibus latinis ante quingentos annos abhinc editis referuntur alia verba, quæ ab Episcopo ordinante proferantur, quam oratio. 3°. Nec in Isidoro, nec Amalario, Micrologo, Ivone, nec in antiquis codicibus editis a Morino et Martenio comparent illa verba: *accipe potestatem... accipe Spiritum sanctum;* ergo.

R. N. Ant. Ad huj. probationes singulas N. Cons. Concesso enim orationem olim adhibitam fuisse ad significationem sacri ordinis, qui conferebatur; sed jam a pluribus seculis non adhibetur. *Nec inde inferas:* ergo mutata esset forma; nam esset mutata solum materialiter, non formaliter quantum ad significationem, et proinde adhuc est eadem substantialiter; tota enim substantia formæ ex institutione Christi consistit in verbis significantibus

gratiam et characterem; sive ergo significant modo deprecativo, sive indicativo, est respectu institutionis Christi mere quid materiale et accidentale: nimirum eodem modo se res habet in forma, sicut ante dictum de materia. Deinde quæro ex adversariis, cum plerique fere eorum cum Morino sentiant formam sacramenti Pœnitentiæ fuisse deprecativam usque ad seculum XII. an mutata sit substantialiter forma sacramenti Pœnitentiæ, postquam utrumque Concilium generale Florentinum et Tridentinum in claris terminis hanc formam asseruit: *ego te absolvo*, etc. quæ imperativa est?

Dixi: *concesso etiam*, etc. Nam probandum adhuc est adversariis, non contineri formam nostram in aliis Ritualibus, qui ad ipsos non pervenerunt, cum tantum aliquos ex antiquitate exhibeant. Item quod verba, in quibus nos formam constituimus, primum inventa et addita fuerint Ritualibus post X. seculum exaratis: et non potius exscripta ex aliis antiquioribus in illos translata sint. Denique aperte falsum est, nec in Sacramentario S. Gregorii, nec in Pontificalibus latinis ante quingentos annos editis referri alia verba, quam orationem; contrarium enim constat ex ipsis verbis Sacramentarii S. Gregorii, et Ordine Romano supra citatis.

124. *Inst. 1.* In Sacramentario S. Gregorii orationi Episcopi legitur præfixus titulus *Consecratio*; ergo illa oratio erat forma.

R. 1º. ut ante: *Esto, fuisset, jam non est.*

R. 2º. *N. Cons.* Quia hæc et aliæ orationes aliorum Ritualium dicebantur olim, sicut adhuc modo super omnes ordinandos simul, ita enim præscriptum legitur; forma vero super quemlibet seorsim proferri debebat, uti nunc fit, ut docemur ex Carthag. IV. can. 3. et Ord. Rom.; ergo forma esse non poterat. Titulus *Consecratio* præfigitur, quia hæc oratio erat velut ingressus ad ipsam consecrationem, vel ordinationem sequentem.

125. *Inst. 2.* Forma, quæ juxta Carthag. IV. supra singulos ordinandos dici debebat, nihil aliud erat, quam mera oratio; vocat enim benedictionem: *Presbyter cum ordinatur, Episcopo eum benedicente, et manum super caput ejus tenente*; ergo.

R. 1º. *N. Ant.* Benedictio illa erat distincta ab orationibus Episcopi, consistens in aliis verbis. Colligitur hoc ex S. AUGUST. L. 5. de Bapt. cap. 20. n. 28. qui Carthag. IV. ipse interfuit: ait enim cit. loc. *si ergo ad hoc valet, quod dictum est in Evangelio, Deus peccatorem non audit, ut per peccatorem sacramenta non celebrentur, quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel super aquam baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum, quibus manus imponitur? quæ omnia tamen et fiunt, et valent*; ubi AUGUST. nomine deprecationis intelligit idem, quod Carthag. IV. nomine benedictionis; sed nomine deprecationis non intelligit orationem, sed aliam verborum formulam, quæ sit quoad rem imperativa; vel alias sequeretur, juxta AUGUST. sacramentum Baptismi, et Eucharistiæ mera oratione olim confectum fuisse, quod falsum est.

R. 2º. *N. Cons.* Dato enim Antecedente, nunc in usu amplius non est.

126. *Inst. 3.* Juxta AUGUST. et alios SS. Patres tamen forma sacramenti ordinis nihil aliud est quam oratio; ergo. *Prob. Ant. 1º.* AUGUST. sermone de

gestis cum Emerito, de Episcopis quando ordinantur, ait: *Invocatio nominis Dei super caput ipsorum*. L. 15. de Trinit. cap. 26. probat Christum esse Deum ex eo, quod Joan. 20. dixerit: *accipite Spiritum sanctum*; et statim addit: *Apostolos nunquam protulisse hæc verba, nec præpositos Ecclesiæ: Quomodo ergo, inquit, Deus non est, qui dat Spiritum sanctum? imo quantum Deus est, qui dat Deum? Neque enim aliquis discipulorum ejus dedit Spiritum sanctum; orabant quippe, ut veniret in eos, quibus manus imponebant, non ipsi eum dabant; quem morem in suis præpositis etiam nunc observat Ecclesia*. 2º. S. DIONYSIUS Arcopagita de ordinatione Episcopi L. de Hierarch. c. 5. ait sanctis eum precibus sanctificari. 3º. Auctor operis *de dignitate sacerdotali* apud S. AMBROS. ideirco sacerdotis dexteram *supplicem* vocat: *sacerdos imponit supplicem dexteram, et Deus benedicit potenti dextera*. (opp. t. 2. part. 2ª. p. 363. D.) 4º. S. HIERON. de sacra ordinatione disserens (comm. in Isaiam cap. 58. opp. t. 4. p. 695. A. edit. Vallars.) ait illam non tantum *ad imprecationem vocis*, sed ad impositionem impleri manus.

R. *N. Ant. Ad prob. R.* Generaliter SS. Patres dicunt ordinationem fieri invocationibus et precibus, *primo* quia cum ministri ordinantis potestas non est suprema et propria, sed solum ministerialis et precaria, ejus ministerium est quædam tacita supplicatio, ut Deus ratum habeat id, quod ipse facit, ex quo tamen non sequitur, eorum verba esse meram orationem. *Secundo* quia verba ministri habent vim a Christo, qui *rogavit* Patrem, ut infallibiliter haberent effectum. *Tertio* propter preces, quæ verba ministrorum comitantur, quasi dispositio, sicque ipsimet adversarii Juenin, etc. explicant SS. Patres, dum dicunt etiam Eucharistiam vel consecrationem, baptismum fieri sacerdotum precibus, nimirum concomitanter et dispositive, quatenus sine illa non peraguntur; non vero formaliter. S. AUGUST. verò L. 15. de Trinit. plus non vult, quam Christum esse Deum, quia dedit Spiritum sanctum potestate *propria*, et tali potestate non dedisse Apostolos, quorum potestas solum *ministerialis* fuit et *precaria*, ac proinde eorum verba, cum conferrent Spiritum sanctum, fuisse orationem, scilicet tacitam saltem, uti et Præpositorum Ecclesiæ. Deinde

R. 2º. Sicut supra: *Transmisso Anteced. N. Cons.* ob rationes allatas.

127. *Inst. 4.* Forma a quod Græcos consistit in oratione; ergo idem melius dicitur de forma etiam apud Latinos; sic enim conciliatur utraque Ecclesia, et habetur perfectior utriusque uniformitas.

R. *N. M.* Sed forma Græcorum est hæc: *Divina gratia... promovet N. venerabilem diaconum e. g. in Presbyterum*. *Primo* sic enim asserit Arcudius cit. *Not. I.* qui plus hac in re fidei meretur, utpote rituum Græcorum peritissimus et versatissimus in eorum Euchologiis. *Secundo* Simeon Thessalonic. de sacris Ordinationibus cap. 4. clare indicat ea formula sacram ordinationem fieri; cum enim ea formula etiam in ordinatione diaconi locum habeat, eam explicans ait: *cum hoc dicit Episcopus, et gratiam donat, et qui ordinatur, diaconatum verbo Episcopi statim accipit; efficac enim est per sanctissimum Dei Spiritum*.

Nec obstat, quod subjungat: *nihilominus opus adhuc habet mysterio et perfectione precum episcopalium*; nam hæc saltem ex præcepto et consuetudine observanda sunt; quod vero verbis illis plus non exigat, patet iterum

ex aliis immediate subjectis; pergit enim: *et ceterorum omnium quæ in ordinationum paradigmata continentur... oportet etiam caput ejus, sacre mensæ incumbere, et flectentem genu, etc.* hæc autem non sunt de essentia. Tertio ad illam formam alludere videtur S. CHRYSOST. orat. 4. de Sacerdotio (opp. t. 1. p. 404. A.), perstringens ordinationum pravos usus; *multæ, inquit, harum ordinationum a divina gratia non fiunt.* Denique quarto, quia verba illa: *Divina gratia, etc.* significant collationem gratiæ et characteris, et conjunguntur impositioni manus super caput ordinandi, adeoque materiæ proximæ; orationes autem quæ postea dicuntur, de presbytero ut jam ordinato loquuntur, et talem clare supponunt.

128. *Inst.* 5. Si forma non consistat in oratione, vel precibus, ad quid illæ tam religiose adhibentur? non enim ipsæ gratiam conferunt sacramenti.

R. Adhiberi ad impetranda ordinandis copiosiora, specialia, et efficacia auxilia gratiæ, ad quæ ordinatio sacramentalis jus non confert, sed solum ad idonea, uti reliqua sacramenta. Licet igitur preces illæ non habeant vim et significationem sacramentalem, recte tamen et laudabiliter eas Ecclesia ordinavit.

ARTICULUS IX.

DE MINISTRO SACRAMENTI ORDINIS.

129. *Nota.* Ministerium ordinandi ad populum pertinere contendunt Lutherani et Calvinistæ; quamvis potestatem imponendi manus concedant solis pastoribus; non quasi populus hanc auctoritatem et potestatem non haberet, sed ut evitetur confusio. Ita Calvin. L. 4. Instit. cap. 3. Quod ipsum prius volebat Wicleffus inter alia dicens: *Confirmationem juvenum, clericorum ordinationem, locorum consecrationem reservari Papæ et Episcopis propter cupiditatem lucri temporalis; quem errorem damnavit Concil. Constantiense Sess. 8.*

Catholici omnes tametsi contra hæreticos conveniant, ministrum ordinarii ordinis esse Episcopum, est tamen inter eos quædam dissensio quoad ministrum extraordinarium, an et quales ordines possit conferre simplex sacerdos ex delegatione summi Pontificis? *Prima* sententia, quæ etiam tribuitur S. THOMÆ in 4. dist. 25. q. 1. BONAVENT. q. 1. a. 1., RICHARDO et aliis, negat sacerdotem simplicem posse esse ministrum extraordinarium alicujus ordinis majoris. *Secunda* sententia, quæ est AUREOLI, ANGELI, et aliorum, prorsus oppositum affirmat. *Tertia* id tantum de subdiaconatu concedit. Ita BELLARM. L. de Cleric. cap. 27., SUAR. in 3. part. Tom. 3. Disp. 11. Sect. 3., CONINCK Disp. 20. de Sac. Ord. *Quarta* denique etiam ad diaconatum, excepto presbyteratu, talem facultatem extendit.

Porro hic indagandum venit, utrum Episcopus hæreticus, excommunicatus, degradatus possit *valide* conferre ordines. Negarunt Gratianus Caus. 9. q. 1., aliique, quos Gloss. ibi refert in can. Nos. Item MAGISTER sentent. in 4. dist. 25. lit. C. Hoc autem sentiunt de iis solum Episcopis, qui nunquam fuerunt Catholici; de aliis enim, qui aliquando fuerunt

in Ecclesia, deinde ab hac præcisi, inquit Gratian., *Ordinationes eorum ab Ecclesia misericorditer tolerantur.*

130. *Dico I.* Minister ordinarius sacramenti Ordinis est solus consecratus Episcopus. Est de fide.

Prob. I. Ex SCRIPTURA SACRA, in qua solis Episcopis, scilicet Apostolis et eorum successoribus *Ordinis* collatio adscribitur. Act. 6. ordinatio septem Diaconorum. Act. 14. de Paulo et Barnaba dicitur: *Cum constituissent illis per singulas Ecclesias presbyteros.* 1. ad Tim. 4. *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi... cum impositione manuum presbyterii.* Et cap. 5. præcipit illi Paulus manus cito nemini imponere. Ad Tit. 1. scribit, *hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt, corrigas, et constituas per civitates presbyteros, sicut ego disposui tibi.*

Prob. II. Ex constanti TRADITIONE, quæ constat ex facto ipsiusmet Novatiani hæretici, qui Romanum Episcopatum ambiens, tres Episcopos, homines rudes in fraudem adduxerat, et cum eos temulentos cerneret, compulsi, ut, licet vana impositione manuum, sibi Episcopatum conferrent. Rem narrat CORNELIUS Papa in epist. ad Fabium Antiochenum apud Euseb. L. 6. Hist. c. 43. Adeo in seculo III. quo hoc contigit, veritas illi persuasa fuit. In seculo IV. eandem tradit Concil. Carthag. I. can. 5. (Labb. t. 2. p. 715. D.) habitum anno 348. et Alexandrinum, ex Ægypto, Libya, Thebaide, Pentapoli congregatum sub Osio anno 319.; ut enim refert ATHANAS. apol. 2. contra Arian. declaravit Ischyram, accusatorem Athanasii non esse verum sacerdotem; eo quod a Collutho simplici sacerdote ordinatus esset. (v. Labb. t. 2. p. 547.) Epiphanius vero Aerium rejecit et cum hæreticis damnavit, quod presbyteros in jure ordinandi pares Episcopis judicaret; et ait Hær. 75. per Episcopos gigni patres ordinationis virtute, per presbyteros vero filios duntaxat Ecclesiæ virtute baptismi. In sec. VI. Arelatense 5. can. 7. Item Braccarense an. 563. can. 8. In sec. VII. Conc. Hispalense II. anno 619. cap. 5. irritam affirmat ordinationem illam, in qua presbyter verba formæ pronunciaverat, et Episcopus, qui præ oculorum dolore legere non poterat, solum manus imposuerat.

Prob. III. Ex Conciliis generalibus FLORENTINO et TRIDENTINO, quorum primum de ordine ait in Decreto Unionis: *Ordinarius minister hujus sacramenti est Episcopus.* Alterum Sess. 23. can. 7. *Si quis dixerit Episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi, vel eam quam habent illis esse cum presbyteris communem... anathema sit.*

Ratio a priori est voluntas Christi, quam nobis declarat perpetua praxis Ecclesiæ; ac proinde potestas ordinandi propria est Episcopis jure divino, non solo jure ecclesiastico. *Ratio convenientiæ* est; quia Episcopi sunt a Christo instituti principes Ecclesiæ; ergo conveniens fuit munus ordinandi ministros Ecclesiæ pertinere, saltem de jure ordinario, ad solos Episcopos; sicut solus princeps secularis ordinarie ministeria publica distribuit.

131. *Obj. I.* Aaron fuit ordinatus sacerdos a Moyse, licet Moyse non esset sacerdos; nam in Lege veteri sacerdotium solum ad Aaronem ejusque filios